



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Sacramentis. In qua Tractatibus decem de Sacramentis in genere, tum  
speciatim, videlicet de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia spectata vt  
Sacramento, & vt sacrificio: de Pœnitentia, de Suffragiis, Indulgentiis, &  
Iubilo, de Bulla Cruciat, de Extrema-vnctione, & demum de Ordinis  
Sacramento ...

**Castro Palao, Fernando de  
Lugduni, 1669**

De Baptismo Sanguinis, seu de martyrio. 14

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76649)



baptismo non deponentibus, nihil tamen dixit, quando vauis ex illis certo deponere. Etenim cum nullus deponit, verissimum est certissimos testes non inueniri.

10. Sed an in supradictis casibus, in quibus baptisus repeteri possit, teneantur parentes infantis repetitionem procurare, & Parochus requisitus, vel eo deficiente quilibet alius Sacerdos concedere? Difficultate non caret. Satis enim videtur charitati proximi satisfacere, si in necessariis ad salutem medio succurratur, tametsi omnino certum omittamus, quia eo ipso quo medium probabile fit, cessat periculum mortale damnationis. Alias & ipse baptizatus, si adultus est, obligaretur iterum baptizari, & sacramentum penitentiae à Sacerdote, in quo nulla esset incertitudinis suspicio recipere. Nihilominus tanquam certum tenendum est in praedictis casibus obligari parentes, seu tutores procurare baptismi repetitionem, Parochumque requisitum, vel eo deficiente quemlibet alium Sacerdotem concedere. Sic docuit Valqu. *dispur. 146. cap. 4. à num. 28. Egid. de Coninch. qu. 66. art. 9. dub. vn. conclus. num. 101.* Ratio ea est, quia ex charitate tenetur succurrere proximo in grauisima necessitate constituto, quando id commodè facere possumus. At in praedictis casibus est proximus constitutus in grauisima baptismi necessitate. Tum ne priuatur fructu reliquorum sacramentorum. Tum ne in perpetuum damnatur. Si enim baptismus re ipsa collatus non fuit, reliquorum sacramentorum fructum non suscepit, & decessens absque contritione damnatur. At haec grauisissima damna prudenter timetur eo ipso quo probabiliter iudicatur baptismum collatum non esse. Ergo ex Charitate obligantur parentes, & Parochi sic dubiter baptizatio succurrere.

11. Ob eandem rationem aduersus Valq. existimo adultum de suo baptismo probaliter dubitantem obligatum esse baptismi repetitionem sub conditione procurare, quoad fieri possit. Tum ob reuerentiam sacramentis debitam, cum praecipue ob charitatem propriam. Quilibet enim tenetur pro sacramentis suscipiendis esse dispositus dispositione ab Ecclesia praescripta. Vna autem, & praecipua dispositio pro sacramentorum susceptione est baptismus certus non dubius, & probabilis, si quidem stante dubio, & probabili praescribitur repetendus. Ergo ob reuerentiam sacramentorum recipiendorum tenetur adultus dubitans probaliter de suo baptismo iterum sub conditione baptizari. Deinde hanc obligationem subit ob charitatem propriam, aduersus quam videtur procedere se periculo probabili damnationis exponens, ut verè exponitur, si baptismus re ipsa collatus non sit, nec contritionem habet. Neque percipio qualiter possit contritionem habere, si absque graui causa renuat incertitudinem sui baptismi tollere, certum recipiendo. Sic docuit Egid. de Coninch. *qu. 66. art. 9. dub. vnico circa finem num. 104.* Vide dicta tract. 1. de conscient. *disp. 2. p. 5. praecipue num. 4. & tract. 6. de charit. disp. 1. p. 9.*

12. Qualiter autem baptismus repetendus sit (casu quo repeteri debeat) traditur in *cap. de quibus 2. de baptismo* ibi. Si baptizatus es non te baptizo. Sed si nondum Baptizatus es, ego te baptizo. Nullum autem existimo esse peccatum, si solum vltimam partem proferres, quia satis declaras te nolle baptismum conferre, si baptismus collatus fuit, imo si baptismus secretè administrandus est, sufficit conditionem mente concipere, esto expediat maxime verbis proferre. Sic tradit Abbas, alique expositores in dicto *cap.* Et expressius Sua. *dispur. 22. sect. 2. vers. sed queres.* Valq. *dispur. 146. cap. 4. in princ.* Egid. de Coninch. *qu. 66. art. 9. dub. vnico. num. 98.* Paul. Laymann. *Lib. 5. sum tract. 2. c. 5. n. 3. vers. porro.* In hac sacramenti conditionata repetitione scandalum semper vitandum est quoad fieri potest. Quare si occasio repetendi baptismum non sit publica, sed secreta, baptismus in Ecclesia foribus clausis ministrandus est, praesentibus tantum patrino, & parentibus, vel tutoribus baptizandi, quibusque declaranda est à ministro causa repetitionis & baptismus sub expressa conditione concedendus. Sic relato Zambrano de sacramentis *cap. 1. dub. 4.* & Ioanne Chapeauilla de modo administrandi sacramenta temp. *peff. cap. 1. qu. 1. tradit Laym. li. 5. quum tract. 2. cap. 5. in fine.*

#### PUNCTUM XIV.

#### De baptismo sanguinis seu de Martyrio.

Diximus superiori puncto martirium baptismum nuncupari, quia vices baptismi gerit remissionem peccatorum martyri concedens. Videndum iam praesenti est qualiter martirium haec operetur tum in paruulis, tum in adultis.

#### §. I.

#### Qualiter paruuli Martyrio iustificari possint.

1. Martyrium paruulos iustificat à peccato originali.
2. Proponuntur quaedam obiectiones.
3. Fit illis satisfactio.

1. ET quidem, vt à facilioribus incipiamus Martyrium quod est mors pro Christo suscepta virtutem habet iustificandi paruulos à peccato originali. Sic ex communissima sententia testatur D. Thom. 2. 2. *qu. 124. art. 1. & quoad lib. 9. art. 4. Suar. dispur. 19. sect. 1. Valqu. dispur. 173. cap. 7. Egid. de Coninch. qu. 66. art. 12. dub. 1. conclus. 1. ibique pluribus Patrum testimonio exornat, praecipue Leonis l. *serm. 1. de Epiph. Cyprian. serm. de Stella, & Magis circa finem.* Augustin. *lib. 2. & 3. de symbolo ad Catechumenos cap. 5. & epist. 28. ad Hieronym. post. med. Bernard. serm. 66. in Cant. post. med.* Ratio desumitur ex eo quod Ecclesia non lauat in iustos, sed etiam vt martyres veneretur infantes ab iniquo Rege Herode interfectos in odium Christi Domini. Inde enim aperte colligitur occisum in odium Christi, eiusque fidem, non solum Deo charum esse, sed verè esse martyrem. Quod si dicas ideo martyres fuisse innocentes pro Christo occisos, quia circuncisione iustificati erant, obstat, quia verissimum non est omnes circuncisos fuisse, cum plures ante 8. diem natiuitatis creduntur occisi. Deinde non esset verum martyrium vices baptismi gerere, esseque illo praestantius, sicuti passim docent Patres teste D. Thom. *qu. 66. art. 11. & 12.* Ergo Martyrium vim habet martyrem iustificandi. Hanc autem vim obtinet martyrium ex speciali Dei priuilegio tanto operi debito, vt colligitur ex illo Marc. 8. Qui perdidit animam suam propter me, & Euangelium, saluam faciet eam, & Luca. 12. viuificabit eam. Et tradit Cyprian. *lib. de laudib. Martyrij in fine.* Clemens Apostolicar. *constitut. lib. 5. cap. 5.* Augustin. *lib. 13. de ciuit. Dei cap. 8. & alibi.* Ex quo fit non solum infantem iam natum, sed etiam in vtero matris existentem martyrio iustificari posse, quia ibi constituitur perdere vitam propter Christum potest. Qua in re excedit martyrium baptismum, baptismum namque suscipere non potest in vtero existens, quia nequit aqua tingi, benè tamen martyrium, quia potest occidi. Sic relatis Richard. Scoto, Gab. Paludan. docet Valqu. *dispur. 173. cap. 7. circa finem.* Egid. de Coninch. *qu. 66. art. 12. dub. 2. num. 123.* Suar. *dispur. 29. sect. 1. concl. 4. Henric. cap. 38. num. 7.* Bonac. plures referens *dispur. 2. qu. 1. p. 1. n. 7.**

2. Obiectiones Trident. *sess. 6. cap. 4.* definiti translationem à peccato ad gratiam sine lauacro regenerationis in re, vel voto fieri, eaque de causa, *sess. 7. can. 5.* inquit. Si quis dixerit baptismum esse liberum, hoc est non necessarium ad salutem, anathema fit. At si paruuli ante vitam rationis occisi martyrio iustificauerint, baptismum necessarius non est, vt à peccato ad gratiam fiat translatio, cum ipsi baptismi votum habere non possint. Secundò obiectiones martyrium sacramentum esse, quia est signum gratiae iustificantis ex diuina promissione non vtrunque sed practicum, & operarium saltem moraliter. Tertio non apparet, quo tempore martyrium iustificare paruulos possit, quia non potest iustificare, quousque in suo esse sit constitutum. At non est constitutum, quousque mors succedat; ea verò succedente, extra viam paruulus constituitur, & consequenter incapax iustificationis acquirendae.

3. Sed haec non vrgent, vt à communi, receptaque sententia recedamus. Ad primum fatetur sine lauacro regenerationis iustificationem non esse via ordinariam, & communi, sed eius via extraordinaria, & priuilegiata. Ad secundum nego esse sacramentum, quia sacramentum ex sententia Eugenij 4. in concil. Florent decreto *fidet post. ult. sess. 5. quinto.* Constat debet materia, forma, & ministro ad sacramentum conferendum deputatum. At martyrium non constat materia, forma, & ministro, qui per Christum deputatus sit ad martyrium conferendum, cum tyrannus à diabolo, & non à Christo deputetur, & moueatur ad martyrem occidendum. Præterea non est remedium à Christo Domino in remissionem peccati institutum, siquidem non pro libito suscipi potest, sed est remedium peccati ex meritis Christi concessum casu quo aliquando contingat: ideoque à ratione sacramenti deficit. Cum verò vrges esse signum saltem extraordinarium rei sacrae, ac proinde sacramentum. Respondeo non esse signum rei sacrae, quatenus à tyranno inferitur, sed quatenus à Martyre suscipitur. Ad sacramentum vero requiritur necessarium, vt sit signum gratiae sanctificantis, quatenus alicui per ministrum applicatur: quia ipse est, qui eo signo vitur ad gratiam significandam, & conferendam: non autem qui signum recipit, esto ad illud suscipiendum se disponat. Tertium

argumēta



argumentum petit quo tempore martyrium gratiam conferat? Et quidem si verum est dari vltimum intans vitæ, in quo homo sit, & immediatè post definat esse, manifestum est eo instanti martyrium operari suum effectum posse, quia eo instanti vita hominis terminatur. At quia in philosophia probabilius est non in tempore, sed in instanti dissolutionem animæ à corpore fieri, cum generatio nouæ formæ substantialis non in tempore sed in instanti contingat, necessariò martyrium, vt suum effectum operetur, non mortem hominis actu exercitam requirit, sed futuram. Sed qualiter debeat esse futura, non conueniunt Doctores. Plures existimant, si secundum ordinariu[m] cursum necessariò futura sit sufficere, vt martyrium suum effectum operetur, quia moraliter loquendo vt mortuus reputari debet, cum sit mortuus in causa, siquidem causam in se habet violentam, & necessariam mortis. Sic Lessius. lib. 3. cap. 1. dub. 5. num. 59. Suar. disput. 29. sect. 3. vers. finem Henrici. lib. 2. cap. 39. num. 2. Bonac. disput. 2. de baptismo quest. 1. punct. 3. Sed hoc verum non existimo. Nam inde sequeretur martyrij effectum habere, & martyrum esse, qui secundum cursum ordinariu[m] peccare mortaliter, & condemnari possit; siquidem posset longo tempore ante mortem vulnus lethale recipere, sicuti contingit vni ex 40. martyribus, qui in martyrio defecit, cum iam naturaliter viuere non possit. Quod sine dubio est inconueniens. Quocirca crederem ad martyrium, illiusque effectum suscipiendum non solum requiri vulnus lethale acceptum esse, naturaliterque viuere hominem non posse, sed insuper esse necessarium, vt ex vulnere accepto sit vltim[us] sensuum, & libertatis amittat, vt extra miraculum nullatenus ea recuperari possit. Tunc enim verè, & propriè dici potest mortuus secundum moralem estimationem, quia rationali vita quoad vltim[um] caret. Sic Egid. de Coninch. questione. 66. articulo 12. dub. 13.

§. II.

Qualiter adulti martyrio iustificentur, & ad illud suscipiendum sint disponendi.

1. Proponitur dubitandi ratio, ob quam adultis martyrium non remittat peccata vltra meritum operantis.
2. Statuitur conclusio contraria.
3. Quid sit pati propter Christum.
4. Non requiritur ad Martyrium actum charitatis, & dilectionis Dei super omnia præcedere.
5. Satisfit euidam obiectioni.
6. In adultis debet præcedere libera acceptatio.
7. Probabile est nullam specialem, & expressam acceptationem requiri.
8. Adultus iustus mortem pro Christo sustinens obinet remissionem peccatorum venialium, & poenarum, quæ pro peccatis debentur.
9. Qualiter adultus peccator se ad martyrium disponere debet.
10. An attritio sufficiat ad effectum martyrij obtinendum? Arguitur pro, & contra, & resolvitur.

1. **D**E adultis maior est dubitatio, quia ratione martyrium in ipsis effectum baptismi operari possit. Nam si seculo operantis merito ex vi martyrij suscipi remittuntur peccata, & gratia conferuntur, obligatum non esse adultus peccator, cui occasio martyrij offertur, contritionem habere, neque sua peccata confiteri, siquidem martyrio obinere iustificationem potest, ob quam obtinendam poenitentia adulti peccatori necessaria est. Deinde si martyrium remittit peccata, & gratiam confert vltra meritum operantis, necessario eam virtutem habere debet ex diuina promissione, ac hæc promissio nullibi constat. Nam est Matth. 10. dixerit Christus Dominus: Omnis qui confitebitur me, coram hominibus, confitebor & ego eum coram. Patre meo; non de quacumque confessione, sed de confessione, quæ fit amittendo vitam propter Christum intelligi debet, vt ex verbis immediatè sequentibus colligitur: Qui perdidit animam suam propter me inueniet eam. Et Math. 8. saluam faciet eam. Nullus autem propter Christum vitam perdit, qui Christum non diligit secundum illud Ioann. 13. Maiorem hæc dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Ergo soli martyrio in charitate fundato salus, & animæ iustificatio conceditur, ac proinde non tam martyrio, quam charitati, quæ ei adiungitur. Confirmari potest ex 1. ad Corinth. 13. vbi Paulus commendans charitatem inquit. Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Ergo martyrium sine charitate nullus est vtilitatis. Ergo non ex le, sed ex charitate peccata remittit, & gratiam confert.

2. Nihilominus dicendum est martyrium vim habere remittendi adultis peccata, & gratiam conferendi vltra meritum operantis. Sic D. Thom. qu. 68. art. 2. ad 2. & qu. 87. art. 1. ad 2. Egid. de Coninch. qu. 66. art. 12. num. 124. Suar. 1. 3. disput. 29. sect. 2. Valen. disp. 4. qu. 3. p. 4. vers. ceteri vero. Bellarm. de baptismo. cap. 6. Lessius lib. 3. cap. 1. dub. 5. Bonac. disput. 2. quest. 1. punct. 2. Gregor. de Valent. 10. 3. disput. 8. quest. 2. pun. 2. & alij plures. Ratio delimitur ex variis scripturæ testimoniis martyrio aliquod priuilegium speciale concedentibus, quam cuiuslibet alteri operi, tamen eadem intentione, & seruire factum esset. Sicuti colligitur Matth. 10. num. 34. qui perdidit animam suam propter me inueniet eam. Et Marc. 8. num. 35. & Luca. 9. n. 24. & Ioann. 12. num. 24. in vitam æternam custodit eam. At si martyrium solum eam gratiam confert, quæ merito operantis debetur, nullum speciale priuilegium habet. Ergo dicendum est vi sua ex diuina promissione remittere peccata, & gratiam conferre. Deinde Patres martyrio concedunt vices baptismi, illumque excedere, vt videre est in Clement. Pont. lib. 5. constitut. Apostol. cap. 5. & 7. Cyprian. epist. 75. August. lib. 13. de ciuit. Dei cap. 8. Ambros. lib. 1. de poenitent. cap. 2. & præcipue D. Thom. 3. part. qu. 87. art. 1. ad 2. & aliis pluribus relatis à Suar. disput. 29. sect. 2. concl. 1. ad 2. Atqui baptismus vim habet conferendi gratiam vltra meritum operantis. Ergo martyrium eandem vim habere debet. Quod si dicas id verum esse in paruulis non adultis, qui propriis actibus se ad iustificandum disponere possunt? Obstat, quia relati scripturæ loci, & patrum testimonia æquè de adultis, ac de paruulis loquuntur. Et præterea priuilegium martyrio concessum non fit paruulorum necessitate, sed operis dignitati, quæ eadem est, imo præstantior in adultis, ac in paruulis. Quocirca difficultas solum est in explicando, quando censetur adultus propter Christum mortem subire, & qualiter ad eam subeundam dispositus esse debeat, vt illius passio suum effectum operetur. Quo exp[re]ssato rationes dubitandi num. præcedenti relaxari dissoluntur.

3. Propter Christum mortem patris, quoties in defensionem fidei, charitatis, alteriusve virtutis vitam amittis, siquidem in eius honorem, & gloriam vt ipse qui author est totius virtutis, & honestatis hæc passio cedit. Illud enim propter Christum non tam finem patientis, quam ipsius operis denotat, alia infantem non paterentur propter Christum, quippè non ex affectu ad Christum, qui nullus in eis esse poterat patiebantur. Sed quia mors in Christi odium illis illata fuit, propter Christum passi cenentur. Sic D. Thom. 2. 2. qu. 124. art. 5. Suar. 3. p. 10. 3. disp. 29. sect. 1. & 2. Lessius. lib. 3. cap. 1. dub. 3. Henrici. lib. 2. cap. 37. numero 2. Bonacina disp. 2. de baptismo qu. 1. p. 1.

4. Hinc colliges euidenter ad martyrium opus non esse actum charitatis, & dilectionis Dei super omnia præcedere. Nam eo actu seculo ob Christum, id est ob causam decentem in Christi honorem mortem sustinere poteris. Deinde sustinere potes mortem in fidei, vel alterius virtutis defensionem ne calum amittas, & inferno condemneris. Ob hunc enim finem se plures Martyres ad grauia tormenta suscipienda præparabant, vt fecerunt 40. martyres ducti forte autoritate Christi Matth. 10. dicentis. Timere eum qui potest animam, & corpus perdere in gehennam. Sed hic finis non ex charitate, sed ex virtute procedit. Ergo ad martyrium non est opus actum charitatis præcedere. Et ita docuit Suar. disput. 29. sect. 3. Egid. de Coninch. quest. 66. artic. 12. dub. 2. conclus. 1. Henrici. lib. 2. cap. 34. num. 3. & cap. 33. num. 1. Bellarm. cap. 6. de baptismo. Bonac. aliis relatis disput. 2. 9. 1. p. 1. num. 8.

5. Nequè his obstant verba Christi Ioann. 13. Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Solum enim inde inferitur neminem efficacius signum charitatis, & amoris in amicos præbere posse, quam si animam suam ponat pro eis. Non tamen ex illis inferitur ad ponendam animam opus esse directione præparari, nisi forte ob solam gratiam amici eam exponat. Neque item obstant verba Pauli. 1. Corinth. 13. Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Nihil enim prodest ad salutem quorumcumque tormentorum passio, quæ dissensionibus, & multis iniuriis inuoluitur, sicuti inuoluiti erant Corinthij, ad quos Apostolus scribat. Prodest tamen ad salutem si ex charitate procedat, vel charitati coniuncta sit, sicuti fides, spes, pietas, & misericordia ad salutem prolunt, si cum charitate coniungantur, tamen ex charitate non procedant.

6. Dispositio autem, quam habere debet adultus vt martyrium suum effectum operetur, videtur esse voluntas saltem habitualis martyrium subeundi, quia seclusa hac voluntate non est opus liberum, & præmio dignum. Neque obstat quod in infantibus non requiratur hæc libera acceptatio, quia Ecclesia nomine ipsorum acceptat ob eorum impotentiam. At nullum est fundamentum, vt in adultis credamus hanc acceptationem. Tum quia adulti propriam voluntatem habent. Tum quia ad baptismum propria se voluntate disponunt, à fortiori ad martyrium se disponere debent, & ita videtur.



detur sustinere D. Thom. 2. 2. q. 124. art. 1. & ibi Caietan. art. 2. Henrici lib. 2. cap. 34. n. 2. & cap. 36. num. 1. Bonac. disp. 2. q. 1. p. 1. num. 5. Suar. disp. 29. sect. 2. vers. in hac re, & sect. 3. post princ. Paul. Laym. lib. 3. sect. 3. n. 4.

7. Nihilominus censo probabile esse nullam specialem, & positivam martyrij acceptationem voluntariam esse requisitam, sed ex eo tantum quod adultus martyrio subeundo non repugnauerit, credo martyrem esse, & martyrij effectum consecutum. Moueor, quia sine expressa martyrij voluntate perdere vitam adultus potest propter Christum, sicuti perdit infans. Neque in scriptura est aliquod fundamentum, quo hæc voluntas in adultis potius quam in parvulis requiratur. Argumentum vero, quod ex baptismo defumitur inefficax est. Nam adultus per baptismum Ecclesiæ præceptis, subditur, & novum vitæ statum eligit. Congruum ergo erat ut voluntariè eligeret, cum voluntatem habeat. At martyri subeundo martyrium nec novum statum eligit, nec novis præceptis se subdit. Item baptismus in remedium tum peccati aliena voluntate commissi, quale est originale, tum propria quale est actuale institutus fuit, Conueniens ergo fuit ne effectum haberet in iis, qui propria voluntate peccata commiserunt, vel potuerunt, committere absque ipsorum voluntate. At martyrium in remedium peccati institutum non est: tamen ex liberalitate Dei in præmium tanti operis peccata remittantur. Non igitur propria voluntas expostulanda est. Et ita tradit Ægid. de Coninch. q. 66. art. 12. dub. 2. concl. 4.

8. Ex his manifestè colligitur adultum iustum mortem pro Christo patientem remissionem omnium peccatorum veniam, & pœnas pro peccato, debitas obtinere, tamen dormiens occidatur, sicuti tradit expressè D. Thom. 3. p. qu. 66. art. 12. q. 8; art. 1. & quest. 87. art. 1. ad 2. & utrobique Caieran. Ægid. de Coninch. quest. 66. art. 12. dub. 2. conclus. 4. colligiturque ex cap. cum Martha de celebrat. missarum §. 3. Ratio est, quia cum nullius peccati complacentiam habeas, nullatenus obicem ponis gratiæ recipiendæ. Tum quia martyrium à sanctis Patribus baptismo comparatur, & anteponitur. At baptismus iusto collatus remittit omnem venialem culpam, cuius complacentiam non habet, & pœnas pro peccatis debitas. Ergo idem est martyrio concedendum. Teneris tamen, si baptismum nondum recepisti baptizari, si commodè possis, quia baptismus est medium à Christo institutum in peccati originalis, & actualis ante ipsam commissi remissionem, quod nequis omittere absque gravi culpa ob præceptum diuinum de illo suscipiendo impositum, tamen cognoscetes ex diuina reuelatione gratiam contritione obtinuisse. Sic Ægid. de Coninch. q. 66. art. 12. dub. 2. n. 127.

9. Si verò peccator sis, tuique peccati sis conscius teneris imprimis pœnitentiæ sacramentum suscipere, non tanquam

martyrij dispositionem, sed ut præceptum diuinum impleas de peccatorum confessione in extremo vitæ periculo faciendâ. Sic Ægid. loco allegato. Si verò non sit locus sacramenti pœnitentiæ suscipiendi obligatus ex sub graui culpa ad contritionem conari, neque sufficit, si te ad martyrium attritione disponas: quia satis probabilis sententia est affirmans martyrium in adulto peccatore effectum non habiturum, nisi prius se per charitatem disposuerit, ut multis allegatis probat Vasq. disp. 153. c. 3. 4. & 5. At satis imprudenter te gereres, & contra charitatem propriam, si martyrio subeundo te exponeres missa charitate, ex qua secundum probabilem opinionem est effectum habiturum, cum illius omisso te possit in interitum sempiternum constituere. Sic Ægid. supra. Quod si tui peccati conscius non sis, nullatenus martyrium effectum habere poterit, quin expressè, vel virtualiter illius detestationem habeas, quia pœnitentiæ virtus omni tempore fuit ad gratiam obtinendam necessaria, ut definitur Trident. sess. 14. cap. 1. & meritò: cum enim propria voluntate à Deo auerteris; æquum est, ut propria voluntate te ad illum conuertas, attritione saltem, & proposito firmo, & absoluto nunquam peccandi. Quod propositum inclusum esse videtur in voluntate subeundæ mortis, ne Deum grauius offendas, ne eius gloriam amittas, vel damnationem incurras, siquidem stante hoc proposito nullum committere peccatum mortale potes.

Sed an attritio, vel ea voluntas subeundæ mortis sufficiat, ut ad effectum martyrij suscipiendum censuris dispositus Variat doctores. Negatiuam partem sustinet Vasq. pluribusque exornat. dicta disp. 153. c. 3. 4. 5. & 6. Paul. Laymann. lib. 3. summa. sect. 3. n. 6. eamque defendunt plures relati ad Henric. Lesso. Suar. & alii statim referendis. Mihi tamen probabilior est affirmatiua sententia, quam sustinet Suar. disp. 29. sect. 3. concl. 2. Bellarm. cap. 6. de baptismo. Henrici lib. 2. cap. 34. n. 3. & cap. 36. num. 1. Ægid. de Coninch. q. 66. art. 12. dub. 2. conclus. 5. n. 144. Lessius lib. 3. c. 1. n. 48. Bonac. disp. 2. de baptismo. q. 1. p. 1. n. 8. Et colligitur ex D. Thom. in 4. dist. 4. art. 3. q. 4. Ratio ea est, quia sancti Patres, ut ex supradictis constat, concedunt martyrio vim efficaciorē in remittendis peccatis, gratiaque conferenda, quam baptismo. At baptismus sola attritione dispositis remittit peccata, & gratiam confert. Ergo martyrium id ipsum præstare debet. Neque inde fit sola attritione cognita, si conscius sis peccati mortalis, te esse ritè dispositum, sicuti es ad baptismum suscipiendum. Quia eo casu ex præcepto diuino ob periculum probabile æternæ damnationis teneris conari ad contritionem. Non enim ita certum est Martyrio remitti peccata attritis, sicuti per baptismum, & pœnitentiā, quæ sunt mediā à Christo Domino ad hunc effectum instituta.